



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] angeli possint esse ministri sacramentorum? 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

356

4. d. 5. q. 2
ar. 3.*Virum angeli possint sacramenta ministrare?*c. 9. cœl.
hie parū
ante me.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod angeli possint sacramenta ministrare. Quicquid enim potest minister inferior, potest & superior: sicut quicquid potest diaconus, potest sacerdos: sed non conuertitur. Sed angeli sunt superiores ministri in ordine hierarchico, quam etiam quicumque homines: ut patet per Dionysium in lib. cœl. hier. * Ergo cum homines possint ministrare in sacramentis, videtur quod multo magis angeli.

q. p̄sc.
ar. 5.

q. 8. ar. 7.

¶ 2 Præterea, Homines sancti assimilantur angelis in cœlo: ut dicitur Matth. 22. Sed aliqui sancti in cœlo existentes, possent ministrare in sacramentis: quia character sacramentalis est indelebilis, ut dictum est †. Ergo videtur, quod etiam angeli possint in sacramentis ministrare.

¶ 3 Præterea, Sicut supra dictum est *, diabolus est caput malorum, & mali sunt membra eius. Sed per malos possunt ministrari sacramenta. Ergo videtur, quod etiam per demones.

SED contra est, quod dicitur Heb. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum. Sed angeli boni vel mali, non sunt ex hominibus. Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quæ sunt ad Deum, id est, in sacramentis.

q. p̄sc. a.
3.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut supra dictum est *) tota virtus sacramentorum à passione Christi derivatur, quæ est Christi, secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem angeli; sed potius secundum passionem dicitur modico ab angelis minoratus: ut patet Hebr. 2. Et ideo ad homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare: non autem ad angelos. Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam

non

non alligavit ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntij veritatis, si aliquod sacramentale ministerium à bonis angelis perficeretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate diuina: sicut quadam tēpla dicuntur angelico ministerio cōsecrata. Si verò demone, qui sunt spiritus mendacij, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

Ad primum ergo dicendum, quòd illud quòd faciunt homines inferiori modo, scilicet per sensibilia sacramenta, quæ sunt proportionata naturæ ipsorum, faciunt angeli tamquam superiores ministri, superiori modo, scilicet inuisibiliter purgando, illuminando, & perficiendo.

Ad secundum dicendum, quòd sancti, qui sunt in cœlo, sunt similes angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionē naturæ, & per consequens neque quantum ad sacramenta.

Ad tertium dicendum, quòd mali homines non habent, quòd possint ministrare in sacramentis, ex hoc, quòd per malitiam sunt membra diaboli. Et ideo non sequitur, quòd diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.

ARTIC. VIII.

Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti?

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod intentio ministri non requiratur ad perfectionem sacramenti. Minister enim in sacramento instrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur secundum intentionem instrumenti, sed secundum intentionem principalis agentis. Ergo intentio ministri non requiritur ad perfectionem sacramenti.

¶ 2 Præterea, Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti, nõ posset homini ad sacramentum accedenti esse notum, quòd sacramentum

¶ 2 susce-

357
 sup. q. 60
 a. 8. c. Et
 4. d. 6. q. 1
 a. 2. q. 1.
 et d. 7. q.
 1. ad 3. e3
 d. 8. q. 2.
 a. 4. q. 3.
 ad 1. 6
 d. 30. q. 1
 a. 3. ad 3